

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,*

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis tertiâ mensis Aprilis, anno Domini M. DCC. LXXXIII.

M^o. JOANNE-BAPTISTA LANGLOIS,
M^ri. Caroli-Ludovici-Fancisci Andry, vices gerente, Doctore Medico, Præside.

An inter edendum Ostrea, Meri potus?

I.

ALIMENTA jucundè coquat & facilè ventriculus, malè verò sit alicui machinæ parti, inauditum hactenus, imò impossibile. Caveant ergò Membrorum singula ne alacritatis suæ fontem, aut pigritiæ,

* Propugnata 29 Aprilis 1745 à M. Pourfour du Petit, nunc Decano, Theseos Authore.

aut turpis inertiæ redarguant nisi iterùm hebetari, languere, deteri malint. Videant sedulò ut ei ministrent quæ sunt levioris operæ. Ast ut in morbis qualibuscumqne, duo ex omni parte similes fortasse nunquam visi sunt, ita & ventriculi duo qui iisdem alimentis æqualiter recreentur nusquam fortasse fuerunt nec unquam futuri sunt. Hinc patet quanti sit momenti singulorum veram indolem dignoscere: discriminari sedulò quæ hunc quæ illum juvent. Sive igitur esculentum, sive potulentum, sive utrumque simul credis ventriculo, ea selige quæ facilè coquantur, & cocta valetudinem servent aut paulisper deviam revocent.

I I.

SCITO primùm quo sis stomaco. Dein nosce alimenta quibus vesci debes. Si laxiores ventriculi fibræ, iis utere alimentis quæ illarum tonum non nihil excitare valeant; si rigidiores, iis indulge quæ relaxare possint; si uberior succi gastrici copia sicciora ingere. Si parcior, ea selige quæ aut arte aut à naturâ sint ita condita, ut facilè possis jacturam resarcire. Neque ex iis esto qui modo palato arrideant, quæ sumunt parùm curant utrùm nocitura sint. Serva modum in omnibus. Edis Ostrea? Gratum equidem & salubre ut plurimùm esculentum. At quò gratius Ostreum, eò periculosior esca si temerè deglutiatur. Jam verò quam multi sint qui inter edendum Ostrea gravissimi peccent? Noverit quicumque sciet neminem fere esse qui ea vel nimiâ quantitate non voret aut non jungat esculentis aliquibus potulentisve quorum præsentiâ quicquid boni deperdunt omninò Ostrea.

I I I.

UBI de morbis vel gravioribus agitur, fingit se Medicum quivis: Ast utinam hominum unusquisque satis medicinam calleret ut noscat in victu utilibus litare, noxia verò devitare. Alis non adeò pernicibus mors advolaret: cùm autem angustis nimium limitibus circumscripta sit illorum, si veros Medicos excipias, scientia, statui potest regula quædam generalis juxtà quam turpiter minus errent. Verbi gratiâ, non nocet, & quidem fatemur, omni stomacho vel meri potus cum Ostreis, qui nimirum à Naturâ sunt ita parati ut quæcunque vorant coquant facilè hi merè bibant, per nos licèt, quanquam tamen concludi nullatenus possit eosdem ad partem meliorem se convertisse in eo quod à tali potu nihil passi sint incommodi. Quin imò non unâ ratione probaretur illos plurima neglexisse commoda quæ certò-certiùs in eos redundabunt qui aquam largo latice haurient. Et verò.

IV.

QUÆCUMQUE induntur ventriculo, vel ab eo plurimum ſucci expetunt ut coquantur, vel partim ſecum ferunt quæ ad *digeſtionem* neceſſaria ſunt, vel tandem aliquo egent ut ita dicam intermedio, quo juvante perficiatur opus. Primo in caſu totum pondus fert machina, hinc langueſcit: in ſecundo fere otiatur, hinc alacritas: in ultimo tandem levem molitur operam, hinc ſecuritas. Porrò quid mero cum Oſtreis in ventriculo qualicumque? Sollicitabit fibras, quo uberius fluant ſucci digeſtivi. At primo huic operi perficiendo impar omninò merum. Quin immò potius urit quam ſtimulat; hinc ſterelitas non abundantiâ. Verum inſtas, ſaltem in ordine ad illos qui turgent talibus ſuccis. Ab epoto mero ſalus. Minimè gentium. Vide quid ſingulis in caſibus merum exerceat in ventriculum, & eo adduci te ſines ut credas, illud non minus juris habere in Oſtrea. Quod quidem millies repetitâ experientiâ comprobatum patebit. Nempè ad nos uſque ab inferioris Normanniæ plagis deferuntur Oſtrea vino ut plurimum albo, ſucco citri, pipere; caryophillis odoratis aliiſque id genus aromatis condita, extùs criſpata, intùs vero corii inſtar dentibus teri difficillima, inimica ſtomaco & à quocumque homine ſano veneni inſtar rejicienda. Undenam quæſo, tam turpis illa mutatio? Sciſcitare, nobis in promptu eſt reſpondere. Secundò, non larga adeò ſucci digeſtivi copia eget Oſtreum ut in chylum vertatur; fert ſecum quodcunque in talibus requiritur. Huic ergo junge non auxilium ſed vehiculum quod ex ſe nihil boni aut mali poſſit operari, tunc & gratum palato, & corpori ſalubre pabulum obtinueris.

V.

QUISQUIS Oſtrea ſanus deguſtaſti, attende ad ea quæ in palato excitavere: quiſquis Rheumate labefactatus ſaltem abſente febre ea deglutiſti, fateare quodnam ex indè hauſeris commodi. Sic enim ſunt à natura condita ut ſale ſuo dulci alkalino appetitum omninò proſtratum excitare valeant; adde quod donentur bitumine quodam mediante prædicto ſale ſoluto & millies digeſto, quo ipſa penetrantur & ferè percoquuntur. Hinc vi ſummâ dividendi, incidendi, attenuandi & ſputa, urinaſque eliciendi gaudent. Hinc quantæ ſint energiæ centum in morbis conclude:

nec ſuper Oſtrea extollas remedium illud nuper à longinquo ad nos uſque adſportatum quo Phtyſici exſuſcitantur. Alioquin artem naturæ antepones prodat hoc cum illa latent, non reluctamur. At noli tot dotes mero aliiſve liquoribus ſpirituoſis deturpare, niſi malis ſervire gulæ quam valetudini conſulere.

Non ergò inter edendum Oſtrea, Meri potus.

Proponebat Pariſiis, JOANNES-JOSEPHUS GILLE, Leodienſis Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1783. AB OCTAVA AD MERIDIEM.



Typis QUILLAU, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi 1783.